nota sunt. Altera ex parte ut fierent latina. Illi enim lagin, nos lagenam. Illi sicle
nos situlam dicimus. Post hec venientes ad collem dei. Collis dei locus erat ubi prophete habita-
bant. Vel collem dei dicit proprium nomen loci. Propter aliquod adiutorium dei. Vel quia ibi excelsum
fuit et altare et habitabant ibi prophete. Gregem prophetarum non quia semper de futuris pro-
phetarent. Sed quia parati semper erant ad predicandum et laudandum dominum. Et ante eos
psalterium quod eum tenebant in manibus. Et insiliet in te spiritus domini et prophetabis cum
eis. Prophetasse eum iudei tibi dicunt de futuro seculo de gog et magog et premiis iustorum
et pena impiorum. Quando ergo signa hec omnia tibi evenerint. Ac si diceret. Hiis signis nosse poteris.
quia deus te regem fore voluit. Et ideo ad omnia que tibi agenda sunt regaliter age quia deus
tecum est. Descendes ante me in galgal. Ac si diceret. Semper cum necessarium tibi fuerit. aut
pericula aliqua imminent. descende illuc ut habeas certum locum ad expectandum
me. Immutavit ei deus cor aliud. id est confirmavit eum in regno. Expectabis vii. diebus
et noli tediosus esse in expectando. Ideo in galgal quia ibi populus cum Iesu pascha celebra-
vit. et ibi circumcisus est et ideo locus honorabatur. Et quis pater eorum alia translatio habet
et quis pater illius. Propterea versum est in proverbium. Num et saul inter prophetas. Ideo quia ante non est
visus inter eos. nec de genere prophetali fuit. Aliter. Et quis pater eorum. Ac si diceret. Et quis maior
illo in dignitate. et in sapientia. Optime enim potest inter prophetas versari. et pater
eorum id est magister vocari. quia tam doctus et tam sapiens est. Pater magister vocatur. Sicut
heliseus heliam patrem id est magistrum vocat. Et in libro iob heliu elifaz pa-
trem id est magistrum vocat dicens. Pater mi probetur iob usque ad finem. Et convocavit
samuel populum ad dominum. quia in presentia dei disputavit cum populo. Iabes gala-
ad civitas est in galaad. Sequens boves. casu venit ut boves precederent eum.
Filius unius anni saul. cum regnare cepisset. duobus autem annis regnavit super
israel. Non de isboseth filio saul. sed de ipso saule hoc dictum est. Sic enim erat inno-
cens quando regnare cepit. sicut filius unius anni est. et in ea innocentia duobus
annis regnasse dicitur. Aliter. Filius unius anni saul. id est xxi. annum habens. quia in lege pre-
ceptum fuit. ut a xx. et supra annis eligerentur ad bellum. et ideo unius anni dicitur. qui unum
supra xx. habuit. Aliter. Filius unius anni. sub filio eius uno anno regnans. vel magnum